



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Mors charorum, quàm sit discretè plangenda: morte bona defungi quàm sit optabile: qua[n]ta post mortem felicem sequantur in cælis gaudia.

Epist. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

liatio pacis, quandoquidem suspecta aduersario potuit esse, veluti non optata ex animo, scilicet, ad sui accusationem magis quaesita. Ita magis confulerē, vt omnis accusationibus excusationibusq; dimissis arbitris, reiecta omni mentione veteris illius dissidij, quasi omnem oblitus incipias, tibi vim ab initio faciens, ei colloqui & occasiones etiam fingere, quibus multum familiariter conuerferis cum eo, atque hilariter, vt praedixi. Crede mihi postquam ceperis ei dulciter loqui & ille tibi, & ioci charitatiui interuenerint, transibit etiā illa turbatio, peribunt suspitiones, recedent timores dissipabitur etiā illa pristina melancholia, aded vt etiam mireris, qui tanto tempore inutiliter in hac phantastica odij suspitione frustra te consumpseris. Aedificabuntur omnes videtes te iniuria immemorem, & ingrato amicitiam pro contumelia rependentem. Consolaberis tu in conscientia, cum aduersus proximum nulla te mordeat amaritudo. Glorificabitur Deus, cuius amore tibi vim feceris, humilians te, & pacem quaerens ad aduersario. Videbis quid melancholica mali valeat suspitio, quam turbam in corde malarum cogitationum distractionumq; suscitet, quam magnifaciat & malè pingat leuissimum quodque ab eo quem aduersarium aestimat, vel leuiter gestum. Et posthac magis cauebis charitatem tenacius complectens, & paruam rancoris scintillam (quae blando verbo initio possit extingui) haud fines in odij magnum crescere incendium.

Suspicio
quam sit
noxia.

Hæc accipe charissime non à consultore, sed aestimatore amico atque fratre, qui non ided hoc scripsi, vt doceam, sed infirmitatis propriae conscius, quia mihi hæc sana videantur & amplectenda in similibus quando occurrunt tentationibus, nunc tibi quoque duxi communia facienda. In quibus si quid utile tibi fuerit, haud dubito diu ante tibi fuisse cognitum & institutum. Vale frater charissime. Ex Carthuf.

Mors charorum quam sit discretè plangenda; morte bona defungi quam sit optabile: quanta post mortem felicem sequantur in cælis gaudia.

Epistola III.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS.
magnifico viro domino & magistro Curia Brabannia. S. P.

NON possum non dolere magnifice domine tristitiam vestram, quam accidisse vobis propter coniugis vestrae mortem audio: nec debeo lectum vestrum, vt dicunt, irremediabilem simul & meum & vicius dissimulare, (amicorum quippe omnia sunt communia, & simul gaudere & simul tristari) quin praestantiae charitatiq; vestrae aliquid exhortationis scribam: in quo & si vos consolari vel non possum vel non sum dignus, affectum tamen consolandi, quem vobis magnopere impertior, ostendam, & vobis pariter amoris satisfaciam. Equidē à vobis deberem potius consolari, qui maiorem, hoc est, in plures diffusam videor habere tristitiam: quippe qui & vobiscum vestrum doleo casum (si tamen dolendus est & vestram lugeo tristitiam, aded, vt praeter hoc, quod vos, & ided etiam me simul contristat, mæreo, quia estis contristatus. Bis itaque

que tristitia præmor: nam propter quod vos doletis, & propter vos doleo. Longè autem rationabiliorem hunc censeo luctum, quem pro vobis contristato, quam quem vobiscum, id est, pro coninge vestra defuncta gero. Mortè quippe cuiusvis defuncti lugere, tametsi humanum, tamen infructuosum est. Amici verò tristitiam dolere calamitatemue non modo humanum, sed etiã pijsimum est. Huius etenim doloris fructus est, charitatis debitum exequi erga amicum, quem & consolatum esse, & ad animi tranquillitatem rediisse consolatio est. Illius verò luctus nullus fructus, nullum remedium. Semetipsum autem frustra affligere, miserabilis est ærumna: vbi neque defuncto neque superstiti ob amici mortem luctus prodest amico, dum hic non potest reuocare, & ille non potest, aut non desiderat regredi. Hoc intelligebat sanctus David propheta, qui dum pro filio ægroto, & vt metuebat, morituro deposita regali gloria, humiq; prostratus cilicio indutus, & orans Deum pro filij salute semetipsum ieiunio affligeret, nec acquiesceret sumere cibum, post septem dierum luctum mortuo infante, & seruis metuentibus illius mortem regi nuntiare, ne ob filij mortem se grauius affligeret, qui propter illius ægritudine ad eum se attriuerat, ne tristitiam illius geminarent. David ex eorum turbatione & mullitatione intellexit paruulum mortuum, & continuò surgens comedit. Seruis autem mirantibus & fiscitantibus cur puero viuente afflictus ieiunasset, & mortuo comedisset, respondit: *Propter infantem dum adhuc viueret ieiunauit & fleuit. Dicebã enim: Quis scit, si forte conet eum mihi Dominus, & viuet infans? Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vado magis ad eum: ille verò non reuertetur ad me.* Optima, & viro sancto digna responsio. Quapropter præstantissime domine rogo, nõ vt tristitiam vestram omnino deponatis, sed in tristitiam, quæ secundum Deum est, & salutem operatur, commutetis. Hæc est enim tristitia, quæ facit animam sua peccata plangere, aliena lugere: dolere offensam Dei, gemere de miseria & incolatu huius ærumnosæ vitæ, & ad aliam beatam immortalemque vitam suspirare. Hæc est tristitia, quæ non plangit amicum, quia mortuus est, sed gaudet, quia ab huius vitæ calamitatibus absolutus est, & à qua ipsa gemebundis desiderijs cupit absolui & esse cum Christo. Hæc est, quæ nõ lugeat amicum discedentem, & ærumnosam hanc pro felicissima immortalique vita commutantem: sed se hic gemit relictum, & nondum sequentem. Proinde, vt excellentiam dominationis vestræ confidentius conuenire videar, quid noui insolitæ charitati vestræ accidit, si coniunx mortua est? Nõne omnes morimur, & sicut aqua dilabimur? Hoc semper fuisse & accedere omnibus constat, & legem naturæ nostræ esse indeclinabilem. Non est insolitum, quod antiquum est, non est nouum quod semper fuit, non est proprium quod omnibus tam commune est, quam necessarium: & (vt verbis diui vtat Augustini) hoc est debitum, quod nec sapientiã, nec virtus excusat, nec potestas, nec ipsi deniq; reges possunt declinare. Hoc futurum certissimè nouistis, videlicet ab vxore vos per mortem separandum. Quid ultra querimus? Christus mortuus est Sancti mortui sunt. Aui & parentes nostri mortui sunt. Nos denique ipsi moriemur, & mirum, aut intolerabile censendum est coniugem aut amicum mori? Quid vestrum perdidistis? Deus à vobis non vestrum, sed suum repetiuit. Suum, inquam, quod condidit, quod præcio in-

Lugere mortuum vt sic infructuosum.

2. Reg. 12.

2. Cor. 7. Tristitia salutis quæ fit.

Phil. 1.

Mors omnibus vna debetur. 2. Reg. 14.

August.

Mors vt nihil nobis nostrum auferat.

simabili redemit, quod non nisi ad breue tempus sibi certum & notum vobis accommodauit, iure sibi certissimo repetēdi, cum voluerit, immutabiliter seruato.

Quid præcipue animam irretiat.

Quid igitur nunc tristandum est, si Deus iure suo, lege sua, quam nemo subterfugit, vsus, mutuum repetijt, recepit depositum, quod sciebat repetendum? Præterea quam æquo animo ferenda est illius mors, quæ vobis ad salutem (si vultis) non mediocriter erit proficua? Nam si amor mundi præcipuum est, quod illaqueat animam & ab amore Dei restinguit, adeo vt nunquam conuenire possint, sed inualecente vno, alter tanto magis atteratur, quid vobis vltra cum mundo, postquam charissimum quod habuistis in mundo mors abstulit è mundo? Iam mundi amor & si non penitus extinctus, tamen infirmatus est. Quid vos amodò detinet, cum nihil æquè charum habeatis in mundo? Amorem vestrum illuc sequi necesse est, quo id, quod diligebatis receptum est Deus ad se recepit, quod amatis & amabatis: quo nunc amor vester, nisi ad illum mittendus est: quo animus vester, nisi ad illum recipiendus est? Iam non erit mundus vobis in laqueum, iam non detinebit vos per sui amorem captiuum, vbi totus affectus cum dilecta migrante, migravit ad Deum. Iam non erit mors formidabilis, sed optabilis: quæ & vos ad id perducet, quod diligitis: qua fiet, vt reperiat, quod existimatis amissum. Poterat certe mors fore & horrore & timore, si coniuge dilectissima superstita vobis migrandum esset è seculo, & illa qua diligeretis, post vos relinquere, iraq; ad incognita necdum satis desiderata oporteret, nunc verò mors poterit esse desiderio, vt & vos, quo vxorem rapuit, ferat, vt diligentes se denuò coniungat, qui nisi per mortem sociari aut sequi non potestis.

Mors vt sit optabilis.

Quo sit omnis affectus dirigendus.

Psa. 101.

Felicitas quanta ecclestis patrie

Age nunc quid incommodi vobis aduehet mors quæ non solum ad vxorem defunctam quin etiam & ad Deum veniendi vehiculum est? quandoquidem & modo amor vester, spiritus vester, animus vester ibi est, vbi vxor vestra est, id est, apud Deum. Ad huc etenim affectus omnis dirigendus est, in illud finiendus, etiã per media aliqua trãseat. Verum dicitis vt opinor, Coniugis amor, aspectus, cõsuetudo, conuictus familiaris, &c. eiusmodi admodum mihi grata, quæ admodum fuere solatiofa. q̄ cū illa omnia mihi sublata sunt, factus sum sicut turtur gemens aut secundū scripturã, sicut passer solitarius in tecto. O charorum dulcissime, coniunx & cætera quæ recentis, non vobis ablata, sed translata sunt, id est, in melius commutata, & vobis seruata. Coniunx vestra à vobis non recessit, sed præcessit, non separata est sed paratur & ornatur denuò vobis coniungenda, non mortalis vt ante, non defectuosa, nõ corruptibilis, sed tota pulchra, absque ruga & macula, incorruptibilis, integra & perfecta. dummodo vos etiam paretis & ornetis, vt tali sponsa coniungi rursus mereamini & id castis, impollutis, dininisq; amplexibus in illo regno, in illa curia, in illa patria, vbi nulla mors, nulla senectus, nulla anxietas, nullum tedium, nullus timor, nullus dolor, nulla tristitia, nulla tentatio, sed gaudium, pax, securitas, immortalitas, felicitas, beatitudo, perennitas, vbi nihil adest, quod possit contristare, vbi nihil abest, quod possit lætificare. Ecce nunc charissime, coniugem non amisistis, sed ad hanc curiam præmisistis, vt habeatis, qui vos illuc migrantem agnoscat, occurrat, excipiat, amplectatur, & in gaudia Domini sui introducat. Sanè iam liquet, si ad

huc

huc plangitis, si adhuc doletis, tam vobis quam illi facitis iniuriam: quia nec illius, nec vestram pensatis felicitatem, & Deo pro gratiarum actione refer-
tis contumeliam. Quapropter deponite tristitiam, excutite mœrorem, ex-
pergiscimini & præparate vos ad iter, expectat vos sequentem: Sic currite, sic
viuite, vt apprehendatis: certus quod perexigua mora est, & modica dilatio,
donec iterum videatis eam Si ad regis Hispaniæ curiam esset profecta, & vo-
bis necessarium esset sequi, num lugeretis? minimè. Quinimò si alioqui mo-
lestam esset, iam fieret optatum illuc pergere, vt hac occasione rursus dilectæ
iungeremini. Ecce & hic simile. Dilectæ vestra ad superni & æterni regis cu-
riam profecta est, ac vobis sequendum, & idè gaudendum est, non flendū:
gaudete igitur, & properate. Si diligitis eam, gaudete quia ad meliora tran-
siuit. Si illi cupitis adherere, piè viuendo properate post eam, quia & ipsa
hoc magnoperè desiderat. Melius enim est, vt sitis vbi ipsa est, hoc est vbi ipe-
ratur esse, quam vt sit illa, vbi vos estis. Satius est, inquam, vt cum beata sitis
& ipse beatus, quam quod vobiscum rursus in hac calamitate sit & ipsa mi-
sera.

Tunc autem eritis, si in tumultu vxoris huius mundi voluptates sepelitis,
si seculi amorem abdicatis, si gloriam & honorem terrenum (quibus pro
merito vestro abundatis) non diligitis, si cum sancta Paula ita vos ad Deum
conuertitis, vt vxoris mortem id est, coniugalis thori absolutionem etiam
optasse videamini. Et reuera sic congruit, cum meliores vitæ vestræ dies (vt
pace vestra dicam) transferunt, & vita ipsa ad occasum vergat, magisq; cogi-
tandum sit & providendum vobis de mausoleo, quam de palatio. Hæc autè
præstantissime domine vt magnificentia vestræ scriberem, non me præsum-
ptionis tumor, sed charitatis feruor adduxit. Quapropter ignoscite amanti,
vt si verbosior fui, quam vel res exposulat, vel humilitatem meam deceat,
non ex obliuione accidisse putetis vestræ excellentiæ, sed respectu magnæ er-
ga vos confidentiæ. Pro coniuge autem vestra defuncta quotidie oro, vt de-
beo, & nuper cum Apostolicæ indulgentiæ haberem facultatem redimendi
animam ex purgatorio per preces certas &c. quod pro huiusmodi negotio
fieri debuit, feci, & pro anima eius liberanda Deo obtuli. Valetè magnificæ do-
mine quam felicissimè in charitate consolationeq; Spiritus sancti.

Hominem
qui beati
efficit.
Hieron.
Quibus po-
tissimum
presentia
sua despici-
enda.

*Tendere in Deum quid sit, quomodoque quisque conueniat id debeat, exercitijs cuius-
modi præcipue religiosus ac Prælati se occupare debeat.*

Epistola IV.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS.
cuidam religioso Patri, spiritum gratiæ & consolationis.

Reuere[n]de Pater, quæ nup[er] exposueram loquendo omnino ve-
stra paternitas desiderauit vt liceret vobis commendarem. Quæ
vestram humilitatem confidens, admonet, nō superbus esse
id est, non negare, sed obtemperando meam inscitiam prodere.
Primum fuit, quid sit tendere in Deū: & placuit similitudo vo-
bis

M 3

bis